

& proponemus quædam primò de Juramento in genere, quibus facili negotio subjungere poterimus, quæ de Juramento, in specie in Libros Symbolicos, annotanda censebimus. Primum igitur quod attinet Juramentum in genere, ejusdem apud omnes populos & ab omni ævo circa pollicitationes, promissa, & contractus maxima semper vis fuit: *nullum siquidem vinculum*, ait Cicero, *Lib. I. Off. ad adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.* Qua vi, quoque vinculo tamen opus non fuisset, nisi homines inter se transigentes ex utraque parte suis laborassent, & adhuc laborarent vitiis, quibus proinde juramenti ortus debetur. Dum enim promittens fallaciam aut æquivocationem committere, is vero, cui aliquid promittitur, semper de rei veritate dubius & incredulus esse potest, juramentum *πάσης ἀντιλογίας πέρας*, uti vocatur Ebr. VI. 16. ex instituto Dei, vi juris naturalis velut remedium huic malo congruum inventum est.

§. II. Est autem Juramentum Affirmatio religiosa, in qua ad rem dubiam confirmandam Deus testis invocatur. Subministravit nobis genus definitionis cum differentia parte Cicero *Lib. III. Off.* ubi *Jusjurandum*, inquit, *est affirmatio religiosa.* Cæterum placuit nobis definitio *Rob. Sandersohnii* quam adducit in *Tract. de Juram. Obl. prel. I. §. II.* nisi quod ille pro genere constituerit actum, qui cum sit genus remotius, propinquius à Cicerone petere voluimus. Non intelligitur autem hic affirmatio Logica, quæ opponitur negationi, & est prædicati cum subjecto conjunctio; sed animi sensorum circa rem quandam explicatio, qua quis hoc vel illud affirmando aut etiam negando confirmat. Et hæc assertio in jurejurando non est simplex, sed religiosa. Pertinet enim partim ad
cul.